

pis depurare potest omnia corpora metallica imperfecta ab omni lepra, vt sint perpetua, vsque ad indicium extremum. Corpora humana sanat ab omni ægritudine, vsque ad mortem naturalem. *Quæst.* Qualis, & quæ res est anima humani corporis? *Respon.* Est ignis viuus cœlestis vitæ, & habet in se animam mediam naturam. Ab anima media natura vocatur Deus, creator omnium rerum, quæ sunt in Mundo. *Quæst.* Habuitne Virgilius lapidem? *Respon.* Non solum ipse habuit lapidem, sed multi Philosophi habuerunt eum, & scripserunt de eo multifariam obscuris nominibus, & multis operationibus. *Quæst.* Quomodo & quare appellatur lapis? *Respon.* Ego dico tibi, lapis est nomen eius, & non est mihi data libertas tibi aliquid manifestandi amplius. *Quæst.* Quanto tempore potest lapis ad finem deduci? *Resp.* Duodecim menses sunt necessarij à primo die inceptionis. In triginta diebus terra ex Saturno generatur, vel natura terræ facit crescere Saturnum. In centum diebus crescit argentum viuum in aqua. In sexaginta diebus completis creuit aër ex Ioue. In alijs diebus anni crescit ignis à Sole. In puncto anni anima media natura de cœlo descendit in hanc terram, & mortificat superiores & inferiores potestates. Imago multiplicis victoriæ ad consumendum bellum in corde ventris eorum, vsque ad ignis indicium perpetuum. Non amplius tibi dicam.

F I N I S.

C 3